Fragmentarium

molas iniqui: & de dentibus illius aufere
bam predam. Dicebamque: In nidulo meo
moriar: & sicut palma multiplicabo dies.
Radix mea aperta est secus aquas: & ros
morabitur in messione mea. Gloria mea
semper innouabitur: & arcus meus in manu
mea restaurabitur. Qui me audiebant ex
pectabant sententiam meam: & intenti
tacebant ad consilium meum. Verbis
meis addere nichil audebant: & super
illos stillabat eloquium meum. Expecta
bant me sicut pluuiam: & os suum aperiebant
quasi ad imbrem serotinum. Si quando ride
bam ad eos non credebant: & lux uultus
mei non cadebat in terram. Si uoluissem
ire ad eos: sedebam primus. Cumque sederem
quasi rex circumstante exercitu. eram tamen
XXX merentium consolator. Nunc autem deri
dent me iuniores tempore: quorum non
dignabar patres ponere cum canibus gre
gis mei. Quorum uirtus manuum erat
michi pro nichilo: & uita ipsa putabantur
indigni egestate & fame. Steriles qui rode
bant in solitudine squalentes calamitate &
miseria: & mandebant herbas & arborum
cortices. & radix iuniperorum erat cibus eorum.
Qui de conuallibus ista rapientes: cum singula
repperissent. ad ea cum clamore currebant.
In desertis habitabant torrentium: & in
cauernis terre. uel super glaream. Qui inter
huiuscemodi letabantur: & esse sub sentibus
delicias computabant. Filii stultorum &
ignobilium. & in terra penitus non paren
tes; nunc in eorum canticum uersus sum:
& factus sum eis prouerbium. Abhominantur
me & longe fugiunt a me: & faciem meam
conspuere non uerentur. Pharetram enim
suam aperuit & afflixit me: & frenum po
suit in os meum. Ad dexteram orientis cala
mitates mee ilico surrexerunt. pedes meos
subuerterunt: & oppresserunt quasi fluctibus semi
tis suis. Dissipauerunt itinera mea. insidi
ati sunt michi & preualuerunt. & non fuit
qui ferret auxilium. Quasi rupto muro: &
aperta ianua irruerunt super me: & ad meas mi
serias deuoluti sunt: redactus sum in nichili.
Abstulisti quasi uentus desiderium meum:
& uelut nubes pertransiit salus mea. Nunc au
tem in memet ipso marcescit anima mea:
& possident me dies afflictionis. Nocte os
meum perforatur doloribus. & qui me comedunt
non dormiunt. In multitudine eorum con
sumitur uestimentum meum: & quasi capi
tio tunice sic cinxerunt me. Comparatus
sum luto: & assimilatus sum fauille & cineri.
Clamo ad te: & non exaudis me. Sto: & non
respicis me. Mutatus es michi in crudelem:
& in duricia manus tue aduersaris michi. Eleua
sti me: & quasi super uentum ponens elisisti
ualde. Scio quia morti trades me: ubi consti
tuta domus est omni uiuenti. Verumptamen
non ad consumptionem eorum emittis ma
num tuam: & si corruerint ipse saluabis.
Flebam quondam super eo qui afflictus erat:
& compatiebatur anima mea pauperi. Expec
tabam bona: & uenerunt michi mala. Presto
labar lucem. & eruperunt tenebre; interi
ora mea efferbuerunt absque ulla requie: pre
uenerunt me dies afflictionis. Merens in
cedebam: sine furore consurgens in turba
clamabam. Frater fui draconum: & socius
strutionum. Cutis mea denigrata est super me:
& ossa mea aruerunt pre caumate. Versa est
in luctum cythara mea: & organum meum
in uocem flentium. Pepigi fedus cum oculis XXXI
meis: ut ne cogitarem quidem de uirgine.
Quam enim partem haberet deus in me de
super. & hereditatem omnipotens de excelsis. Num
quid non perditio est iniquo. & alienatio ope
rantibus iniusticiam. Nonne ipse considerat

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/104, Fol. [1]v – Bible
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-o10b/6742/56600)